

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

Joachim <von Fiore>

Venetiis, 1589

Vaticinivm XXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-248994](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-248994)

IN VATICINIA.

ciam, & oculos superbiorum humiliabo, & erit vnus Deus, & vna fides. Moriatur in I. infra caput literæ. A. B. G. Qui ea ad futurum tempus spectare aſſeruerit, iſte hand male, mea ſententia, ſentiet: ſiqui erūt, quibus magis ad præterita hæc referre arrideat, primū illud ante oculos ſtatuāt, Antichriſti tempora futura, quibus hæc ventura prædicūtur, nec tantæ ſint pertinaciæ, vt ea Luthero adſcribere velint. Nos quoque Lutherum perdiſſimum Sathanæ Mancipium fuiſſe dicimus; verum ed longe peſtilentiore, & iniquatiorem Caluinum; nemo illorum tamen Antichriſtus fuit: quamuis hic poſtremus magicis etiam ſcleribus addiſſimus fuerit. Itaque ſaniori intellectu de futuris ſanctiſſimis Pontificibus hæc intelligenda ſunt, qui Eccleſiam reſtituent, & oues Chriſti diſperſas congregabunt. Nam circa huius Pontificis tempora, hoc eſt, paulo poſt, reliquiæ Iſraelis reſpiſcere incipient, & ad ſalutem, veramque veri Meſiæ Ieſu Chriſti cognitionem properabunt. Eſt hoc poſtremum vaticinium in illo noſtro vetuſtiſſimo manuſcripto: nam præter Liturarum iniurias, quas ab aliquo pueri, cuius manibus permiſſus erat, forte paſſus eſt, pagina quædam in eo laceratæ, & diſcerptæ ſunt.

VATICINIVM XXIX.

Nos ex æde aurea Marciana hic Venetijs, & ex quodâ manuſcripto pallium ſtellis decorandum cenſuimus.

VATICINIVM XXX.

Circa iſtius Pontificis tempora futurum Antichriſtum imago portêdit, & ad huiusmodi opinione adſtruedam plurima dicenda occurrūt: at unum illud ſatis ſit, non ab re, licet ſibi ſpiſius præſentis Chiliadis Pontifices hæreant, eundem eſſe numerum horum quindecim, qui, &
ſupe

ADNOTATIONES

superiorum quindecim . Atque ita verum dignoscitur statim post septingentesimum annum calamitosa tempora subsequutura , & numerum illum annorum conclusura , quos in primo Pasch Beresit defuturos sextæ Miriadi veteres Mecubalim deprehendere , Nam nisi breuiati fuissent dies illi , non fieret salua omnis caro , ait Redemptor , quodque ab illis obscurissimis ambagibus inuoluntum nos explicitum , ad coerendam aliquorum iuuenilem audaciã , ex Pici Mirandulani cõclusionibus in suis Mathematicis . 9. Per Arithmetica non materialem , sed formalem habetur optima via ad prophetiam naturalem . 10. Ioachim in prophetijs suis alia via non processit , quàm per numeros formales . & 9. in suis Cabalisticis . Si qua est de nouissimis temporibus humana coniectura , inuestigare possumus per secretissimam viam Cabalæ futuram esse consummationem sæculi , hinc ad annos quingētos , & quatuordecim , & dies vigintiquinque . anno superiori 1583 . In D. Iohannis , & Pauli Martyrum æde Venerijs publicè disputandum hebraicis numerationibus proposuimus , quarum apud imperitos tantum est impugnationis . Vela tandem contrahenda sunt , interim lectores æquos , & candidos orantes , vt nobis in altero volumine vniuersæ collectionis quorumcumque vaticiniorum , oraculorum , prædictionũ , & prophetiarum (quas vocant) adesse perhumaniter velint , admonentes , si quid à nobis haud rectè animaduersum , negligenter adnotatum , & non satis ad amussim , & lydian regulam reuocatum est . Quorumcumque . n . amicas castigationes , & mites ex iure , & æquo reprehensiones , vt decet , excipiemus , admittemus , & leni animo feremus . Homines namque nos esse dignoscimus , qui errare potuimus : verum nec doctrinæ nos tantæ esse scimus , vt minimum erratum defendere velimus ; nec tantæ sapientiæ , vt non omnia nostra , & edita , & edenda Sãctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ subiecta esse nolimus .

DE